



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum hypocrisis sit simulatio? 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

*Vtrum hypocrisis sit idem quod simulatio?*

577  
4. d. 16. q.  
4. a. 1. q. 1.  
per tot et  
q. 2. ad 1.

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod hypocrisis non sit idem quod simulatio. Simulatio enim consistit in quodam factorum mendacio. Sed hypocrisis potest etiam esse si aliquis ostendat exterius quæ interius agit, secundum illud Matth. 6. Cum facis elemosynam noli, tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt. Ergo hypocrisis non est idem simulationi.

cap. 11. in  
princ.

¶ 2 Præterea, Greg. dicit 31. \* Moral. Sunt nonnulli, qui & sanctitatis habitum tenent, & perfectionis meritum exequi non valent. Hos nequaquam credendum est in hypocritarum numerum currere: quia aliud est infirmitate, aliud malitia peccare. Sed illi qui tenent habitum sanctitatis, & meritum perfectionis non exequuntur, sunt simulatores: quia exterior habitus sanctitatis, opera perfectionis significat. Non ergo simulatio est ipem quod hypocrisis.

¶ 3 Præterea, Hypocrisis in sola intentione consistit. Dicit enim Dominus de hypocritis, Matthæi 23. Quod omnia opera sua faciunt, ut ab hominibus videantur. Et Gregorius dicit 31. \* Moralium, quod nunquam quid agant, sed quomodo de actione qualibet hominibus possint placere, considerant. Sed simulatio non consistit in sola intentione, sed in exteriori operatione. Vnde super illud Job. 36. Simulatores & callidi prouocant iram Dei: dicit glossa, quod simulator aliud simulat, & aliud agit: castitatem præfert, & lasciuiam sequitur: ostentat paupertatem, & marsupium replet. Ergo hypocrisis non est idem quod simulatio.

li. 10. c. 8.  
incip. Hy  
pocritis, cir.  
medium.  
li. 10. ety  
mol. c. hu  
pocritis, a  
medio.

SED contra est, quod Isid. dicit in libro \* Etymologiarum, Hypocrita græco sermone, in latino, simulator interpretatur: qui cum intus malus sit, ut bonum se palam ostendit. Hypo enim falsum: crisis iudicium interpretatur.

RESPONDEO dicendum, quod sicut Isidorus \* dicit



cit ibidem, nomen hypocritæ tractum est à specie eorum, qui in spectaculis contexta facie incedunt, distinguentes vultum vario colore, vt ad personæ quam simulat, colorem perueniant: modo in specie viri, modo in specie femine: vt in ludis populum fallant. Vnde Aug. \* dicit in libro de serm. Dom. in mote, quòd sicut hypocritæ simulatores aliarum personarum, agunt partes illius quod non sunt: non enim qui agit partes Agamemnonis, vere ipse est, sed simulat eum; sic in Ecclesijs, & in omni vita humana, quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est: simulat enim se iustum, non exhibet. Sic igitur dicendum est, quòd hypocrisis simulatio est: non autem omnis simulatio, sed solum illa, qua quis simulat personam alterius: sicut cum peccator simulat personam iusti.

li. 2. c. 3.  
cir. prius  
10.4.

Ad primum ergo dicendum, quòd opus exterius naturaliter significat intentionem. Quando ergo aliquis per bona opera quæ facit, ex suo genere ad Dei seruitutem pertinentia, non querit Deo placere, sed hominibus: simulat rectam intentionem quam non habet. Vnde Gregorius dicit: 1. Moral. \* quòd hypocritæ per causas Dei, deseruiunt intentioni seculi: quia per ipsa quoque, quæ se agere sancta ostendunt, non conuersionem querunt hominum, sed auras fauorum. Et ita simulat mendaciter intentionem rectam, quam non habent; quamuis non simulat aliquod rectum opus, quod non agunt.

c. 11. ar.  
te med.

Ad secundum dicendum, quòd habitus sanctitatis (puta religionis vel clericatus) significat statum quo quis obligatur ad opera perfectionis. Et ideo cū quis habitum sanctitatis assumit, intendens se ad statum perfectionis transferre, si per infirmitatem deficiat, non est simulator vel hypocrita: quia non tenetur manifestare suum peccatum, sanctitatis habitum deponendo. Si autem ad hoc sanctitatis habitum assumeret, vt se iustum ostentaret, esset hypocrita & simulator.

Q 9 3 Ad



Ad tertium dicendum, quòd in simulatione, sicut in mendacio, duo sunt. Vnum quidem sicut signum, & aliud sicut signatum. Mala ergo intentio in hypocriti consideratur sicut signatum, quod non respondet signo. Exteriora autem vel verba vel opera vel quæcumque sensibilia considerantur in omni simulatione & mendacio, sicut signa.

## ARTIC. III.

578 *Virum hypocrisis opponatur virtuti veritatis?*

4. d. 16. q.  
4. a. 1. q. 2  
ar. 9. pro  
ver.  
cor.

**A**D tertium sic proceditur. Videtur quòd hypocrisis non opponatur virtuti veritatis. In simulatione enim siue hypocrisis est signum & signatum. Sed quantum ad vtrumque non videtur opponi alicui speciali virtuti. Hypocrita enim simulat quamcumque virtutem, & etiam per quæcumque virtutis opera: puta per ieiunium, orationem, & eleemosynam, vt habetur Matth. 6. Ergo hypocrisis non opponitur specialiter virtuti veritatis.

¶ 2 Præterea, Omnis simulatio ex aliquo dolo videtur procedere: vnde & simplicitati opponitur. Dolus autem opponitur prudentiæ, vt supra habitum est\*. Ergo hypocrisis, quæ est simulatio, non opponitur veritati, sed magis prudentiæ vel simplicitati.

¶ 3 Præterea, Species moralium considerantur ex fine. Sed finis hypocrisis est acquisitio lucri vel inanis gloriæ. Vnde super illud Iob 27. Quæ est spes hypocritis, si auarè rapiat, &c. dicitur glossa. Hypocrita, qui latine dicitur simulator, auarus raptor est: qui dum iniquè agens desiderat de sanctitate venerari, laudem vitæ rapit alienæ. Cum ergo auaritia vel inanis gloria non directè opponatur veritati, videtur quòd nec simulatio siue hypocrisis.

**S**E D contra est, quia omnis simulatio est mendacium quoddam, vt dictum est\*. Mendacium autem directè opponitur veritati. Ergo & simulatio siue hypocrisis.

**R**ESPONDEO dicendum, quòd secundum Philophum in 10. \* Metaph. Contrarietas est oppositio secundum

est Greg.  
ibi li. 19.  
c. 2.

ar. 1. hu-  
ius qu.

sex 13. et  
24. 10. 3.